

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 7. An Beneficiatis, durante Tyrocinio, seu probationis anno, retineat beneficium Ecclesiasticum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](#)

completam, dum redire possit ad seculum? & de hoc nihil agit textus.

2704 Ad 4. n. solam Matrem, superstite, ac contradicente Patre, non posse; nam cura, & gubernatio liberorum *impuberum*, sicut totius familiae, jure naturali, & humano pertinet ad parentem, seu Maritum, qui est caput mulieris. Unde textus loquentes alternativè, de Patre, vel Matre accipiendi sunt in casu, quo sola Mater superest. Ad alterum autem de Tutoribus respondeatur affi. mativè ex 20. q.2. c.2. nam Tutor pupilli est instar patris, & in ejus personam potestatem habet, succeditque patri quoad omnia, quæ ad gubernationem filii pertinent, ideoque omnia etiam ejus vota irritare potest; & ita tenet Suarez cit. tom. 3. l.5. c.2. n.13. Sanch. cit. l.4. mor. c.18. n.25. & alii.

2705 Præter dicta Not. i. liberos inconsul-  
tis, ac invitis parentibus non prohiberi Religionem ingredi, c. Cùm Virum. 12.  
h. t. ibi: *quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*; loquitur autem de puella jam pubere; decens tamen est, pe-  
tere consilium, & assensum, sed citra obligationem sequendi, per se loquendo,  
ut in casibus de incendo matrimonio  
notavimus l.4. à n.132.

2706 Not. 2. Novitios durante Tyrocinio posse liberè absque apostasiæ nota, vel noxa ad seculum redire ante emissam expreſſe, vel tacitè professionem, c. Consulti. 20. h. t. & clariuſ in c. statuim. 23. eod. ubi Gregorius IX. statuim. inquit, *Novitios in probatione positos, ante susceptum Religionis habitum, qui dari profidentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse liberè intra annum: nisi evidenter appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino servire.* Quia tamen verba postrema: *nisi evidenter appareat, &c.* & in c.20. ibi: *in primo casu (si Novitius absolute proposuit vitam mutare, ut sub habitu regulari Deo de cetero famuletur, ) aliquid insinuare videtur, quod liberum egressum retardare videatur, de vero eorum verborum sensu questio esse potest. Communiter enim dicunt, tam- lem, esto non adstringatur in ea Religione perseverare, præsumi tamen non nu-*

do proposito, sed serio secum animo sta-  
tuisse, Deo famulari in aliqua Religione, præsertim, si in ingressu assumptis habi-  
tum proprium professorum; sed hoc ac-  
cipiendum est de ingressu, & susceptio-  
ne habitus cum proposito in Religioso  
statu serviendi Deo, non nuda, sed pro-  
missione firmata, ut tradit Sayrus in cla-  
vi Regia, lib. 6. c. 1. n. 8. Sanchez de ma-  
trim. l.9. D.33. n.18. & in præcepta De-  
calogi, tom. 1. l.4. c. 1. n.20. quicquid cen-  
seat aliter Azor inst. moral. p.1. l.11.  
c.20. q.9. Nam solum propositum suscep-  
to habitu Monachali non inducit voti  
obligationem, nisi promissione firme-  
tur; sic Navar. in man. c.12. n.24. & 26.  
Covar. in c. quamvis p. Etum, part. 1. §. 3.  
n.12. Valent. 2. 2. D.6. punct. 1. col. pen.  
in solut. ad 2. Azor cit. l.11. c.13. q.5. Va-  
ler. Regit. sld. in praxi fori penit. l.18.  
n.387. tum quia ad votum non sufficit  
propositum etiam deliberatum, sed re-  
quiritur ulterius promissio, S. Thomas.  
l.3. q.78. a.1. id, quod hodie certum est  
Trid. Sess. 25. de Regul. c.15. si enim ex-  
inde jam esset profetus, valeret profes-  
sio; quin Novitius steterit in probatione,  
non minore tempore, quam unius anni.

§. 7.

*An Beneficiatus, durante Tyrocinio, seu probationis anno, retineat beneficium Ecclesiasticum?*

R Esp. quod sic, ex c. Beneficium. 4. 2707  
h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. Pa-  
risiensi Capitulo scribens, beneficium, in-  
quit, illius, qui religionem ingreditur, non  
est intra probationis annum alicui confe-  
rendum: nisi ad id ipsum accedat assensus,  
aut constet, quod vitam voluerit ab solitu-  
dine mutare, vel professionem expressim fecerit,  
seu scienter habitum receperit professorem.  
Sed interim eidem beneficio per alium  
deserviri debet, assignata sibi congrua  
de ipsis proventibus portione; ex hoc  
textu sequitur, quod beneficium ingre-  
dientis Religionem infra annum proba-  
tionis (exceptis casibus hic exceptis) non  
sit alteri conferendum, interim tamen  
debeat per alium beneficio deserviri,  
assignata eidem substituto congrua por-  
tione, unde vivere possit.

Circumstum canonem Not. 1. sub ap- 2708  
pellatione *beneficii*, venire quilibet sive

Illi 3. majora

majora sint, sive minora, cum textus indistincte loquatur de *beneficio*, & quidem in materia spectante favorem Religionis; unde Sanchez tom. 2. in *Decal.* l. 7. c. 4. n. 3. id extendit etiam ad pensiones; qui n. 6. ait, hoc procedere, licet Novitiatus pluribus annis duraret, prout in nostra Societate durat biennio; an autem durante Novitiatu posset ipse renuntiare beneficio? sub opinione est, affirmante Barbosa p. 3. de offic. & protest. Episcopi, allegat. n. 99. cum Garcia de benefic. p. II. c. 9. à n. 12. negante communi cum Azor p. 2. l. 7. c. 20. q. 6. Sanchez cit. c. 5. n. 38. propter Trid. Sess. 25. de Regul. c. 16. de quo infra.

2709 Not. 2. inter casus in textu exceptos ab aliquibus numerari. 1. ex illis verbis: nisi constet, quod vitam voluerit absolute mutare; ex hoc enim infert Barbosa in cit. c. Beneficium n. 5. quod propositum mutandi vitam cum habitus susceptione censeatur votum: olenne, per Sayrum in clavi Regia, l. 6. c. 1. n. 7. ad votum enim duo tantum sufficiunt, deliberatio, & propositum, ex Azor, instit. moral. p. I. l. II. c. 13. n. 5. sed hoc rectius negatur, nisi propositum firmatum sit promissione, ut notavimus n. 2076.

2710 Alter casus exceptus est, si fecit professionem; circa quod observant alii, à Religiosis Soc. JESU possessionem beneficiorum prius obtentorum amitti post emissionem solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, per quae redduntur omnino incapaces bona, & jura quæcunque acquirendi, & retinendi; non autem, per emissionem simplicium verborum biennii, per quæ juxta dictæ Societatis constitutiones, à Sede Apostolica approbatas, tales Religiosi non sunt incapaces retirendi dominium bonorum, & beneficia, quæ in seculo habebant, ut habetur in dicta Societatis constitutionibus p. 4. c. 4. §. 5. in declarat. lit. E. & p. 6. c. 2. §. II. in declarat. lit. E. & in Constit. Gregorii XIII. incip. Ascendente Domino, sub dat. 8. Cal. Junii 1584. vers. & licet qui ad gradus professorum.

2711 Idem dicendum est, pensiones prius obtentas eorum per dicta biennii vota non extingui, sicut dictum est de beneficiis; quia textus in praesenti, intelligitur

de omnibus beneficiis, secundum Archid. hic in princ. Monald. consil. 159. n. 22. vol. 2. & ideo ita resolvit Sanchez in præcepta Decal. l. 7. c. 4. n. 7. & c. 27. n. 32. & c. 29. n. 10. qui tamen cit. c. 29. n. 10. tradit, eosdem finito probationis biennio, ante quam vota simplicia emitant, beneficia prius obtenta resignare; pensiones tamen retinent usque ad solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, ut observatur in praxi, de qua testatur Sanchez ex decreto Congreg. generalis, can. 5.

Not. 3. quoad casum factæ professio- 2712 nis vel expressæ, vel tacitæ, ut hodie pro- cedat solùm, supposito Novitiatu tem- poré completo, & post annum ætatis 16. emissæ, propter decretum Concilii Trid. de quo jam superius actum est; unde dis- positio dicti c. Beneficium procedit in hoc casu solùm attento jure antiquo, ubi professio fieri poterat post puber- tem completam.

Not. 4. in casu, quo egrediens Re- 2713 ligionem habet beneficium, fundatum cum clausula, ut riacet, si beneficiatus per aliquid tempus absit, non esse locum di- ctæ clausulæ propter absentiam causâ probationis in Religionis ingressu, ut no- nat Sanchez cit. l. 7. c. 4. n. 4. talis enim fundatio, nisi alter derogativè expres- sum sit, intelligitur conformiter ad jus commune.

Not. 5. in quaestione versati quoque 2714 illud, an, si contingat vacare Ecclesiam, in qua Canonicus, vel Beneficiatus, vir- tute sui beneficii haber jus eligendi, possit interesse electioni, dum est in No- vitiatu? & quantum est vi juris sibi com- petentis, posse; cum etiam durante No- vitiatu ei debiti sint fructus sui beneficii, inter quos etiam est eligere Prælatum Ecclesie vacantis. An autem sit neces- sario ad electionem vocandus, sic, ut alias titulo præteritionis possit agere contra electo em se absente, & non vocato celebratam in dubio est: vocan- dum esse, si per leges Tyrocinii in Reli- gione, quam probat, ei conceditur, vi- detur dicendum, ne privetur iure suo in exercicio actus sibi de jure competentis; secus vero, si non conceditur; nam sic per ingressum Tyrocinii, talis Religio- nis merito censetur renuntiasse pro tali eventu

eventu juri , quod habet pro tunc ad eligendum.

- 2715 Aliqui tamen distinguunt inter jus eligendi, quod habet vel jure Collegii, de quo est , & consideratur tanquam pars ejus , vel speciali, puta ratiōne suę dignitatis, talis beneficii, aut alio simili titulo ; & in primo casu censem , non esse necessario vocandum , quando id facilē fieri non potest; quia sic per ipsum Collegium electio commode celebrari potest ; in secundo autem secūs ; quia revera etiam post ingressum Religionis, sed ante professionem , retinet omnia jura sibi competentia , nec eo absente exercitium talis actus ritē celebrari potest ; sic gloss. in dict. c. Beneficium. V. Conferendum; Sanch. cit. c. 4. n. 12. & alii.

- 2716 An autem , & qualiter Novitii gaudient privilegio fori, & canonis ? aut privilegiis suę Religionis , in cuius probatione versantur? alibi dictum est, & communiter affirmatur cum Castropolao tom. 3. D. I. p. II. ceterum duo adhuc quæri possunt ; an Novitii obligentur statutis Religionum , vel præceptis Superiorum : 2. an , sine justa causa, ex anno probationis à Religione dimitti possint inviti ? Ad 1. 12. non obligari directè , ac per se loquendo , nimis sub culpa naturali, seu conscientiæ ; obligari tamen ex decentia, & honestate; ita Suarez tom. 3. l. 5. c. 16. & ali; ratio primæ partis est; quia nondum sunt Religionis membra. nec etiam professi, vel ad ejus regulam obligati votο ipsos constitutive vera Religionis membra: ratio secundæ partis est , quia id exigit ratio eos convenientier gubernandi , & probandi; unde ligantur saltem ad poenam à Superioribus decretam contra transgressionem eorum , qua illis ad peragendam Religionis probationem præscripta sunt.

- 2717 Dixi eos , per se loquendo non obligari naturaliter, & directè statutis earum Religionum , & præceptis Superiorum ; quod sic accipendum est, ut non excludatur obligatio etiam naturalis parendi præceptis impositis à Superiore Religionis , in quantum procedunt non à voto, sed à spirituali jurisdictione relatè ad omnes, qui sunt in tali domo, vel ordine regulari, quam diu ibi sunt ; qualiter Clericus, qui aec origine, nec domi-

cilio est dicēsanus hujus v. g. Episcopi, nihilominus subjicitur jurisdictioni ejus Ecclesiastice , ac spirituali, dum est in ejus diœcesi ; ita Suarez cit. c. 16. n. 18. Sanchez cit. c. 10 à n. II. & alii.

Ad 2. 12. negatē cum Suarez cit. 2718

l. 5. c. 11. n. 5. & aliis; nam hoc pertinet ad justitiam distributivam , rectamque dispensationem ministeriorum spirituallium , & administrationem , ne digni & habiles, postquam ad Religionis probationem admissi sunt , ab ea , sine justa causa rejiciantur. Si dicas : ingrediens & probans Religionem liberè potest ab ea discedere ante vota, licet Religionem videat sibi congruentem ; ergo vicissim recipiens ad ingressum , & probationem Religionis libere potest ab ea illum dimittere , ante vota , licet videat illum Religioni congruentem; 12. N. conseq. nam justitia distributiva non necessariò importat obligationem reciprocām ; dignus enim non tenetur recipere, quod alter vi sua administrationis, quantum est ex parte sua , servatā lege justæ distributionis, tenetur dare.

### ARTICULUS III.

De renuntiatione bonorum tempore Novitiatuſ.

D Ehae quæst. extat specialis dispositio in Concilio Tridentino Ses. 25. de Regularibus, cap. 16. nam postquam c. 15. dixisset, quod nullus ad professionem admitti debeat, qui in ore tempore, quam per annum , in probatione steterit; nec professio, ante annum ætatis decimum sextum completum facta valeat , aut ullam obligationem pariat; c. 16. subjungit : nulla quoq. renuntiatio , aut obligatio antea facta , etiam cum juramento , vel in favorem cuiuscunq. causa pie valeat , nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos mensis proximos ante professionem ; ac , non alias intelligatur effectum suum sortiri , nisi secura professione ; aliter vero facta , etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiacione , etiam jurata ; sit irrita , & nullus effectus.

Sub hoc, postquam mandasset , ut finito tempore Novitiatuſ, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint , ad profitendum admittant, antè Monasterio eos ejicant & declarasset, quod per

hac